

## DISCURSUS

SUPER

Serenissimo Principe Daniæ

## GEORGIO

Filio FRIDERICI III. Regis Daniæ  
gloriosæ memoriæ,Et Fratrem CHRISTIANI V.  
nunc Regis feliciter in Dania Regnantis,  
qui censeari potest unus è principalibus  
Candidatis ad Regnum Poloniæ,  
idque ex Rationibus  
sequentibus.



*EXVII 104 me not. 2. bovin* Ratio Prima.



Quòd sit ex familia Piastea & Jagellonica, prout ex Genealogia adjungenda patebit: unde meritò ad Coronam assumendus tanquam Hæc, Regijsangvinis, qui tam diu fortunatissimè Regnum Poloniæ gubernavit.

I I.

Quòd sit cum præcipuis in Europa Domibus sangvine junctus, per quod facillè omnes superat Concurrentes. Nec inde potentia ipsius Regno erit metuenda, cum ferè omnes sint remoti, nec in Polonia nisi potens vicinitas timeatur. Quin potius inde semper sperari poterunt Suppetiæ necessariæ in casum alicujus periculi Regno imminentis.

III.

Quòd Colligatio hæc in particulari cum Regno Daniæ sit plurimum Regno Poloniæ fructuosa, tum ratione Commerciorum instituendorum, tum ratione Suppetiarum habendarum. Illud quidem ex eo, quòd Serenissimus Rex Daniæ ut plurimum Hollandis foederatus maris Baltici ingressum possideat, Hoc verò, quod paratus sit viginti millia militum sistere pro continuatione belli, si fuerit necessitas.

IV.

Quòd nemo erit ex omnibus Europæ Principibus, qui se ipsius Electioni opponat, nisi qui malè velit Poloniæ. Certum est de Imperatore & Rege Galliæ, fore contentos, & de alijs non dubitatur minimè contrarios futuros.

V.

## V.

Cum Regnum Poloniæ sumptu egeat ingenti, tum ad stipendia militi persolvenda, tum ad rem Monetariam in Regno reparandam, tum ad nervum belli continuandi manu-tenendum; certum est Serenissimum Regem Daniæ Fratri suo, & Serenissimam Matrem Filio, hac in parte subministraturos notabilem Summam, quæ sufficere poterit ad ejusmodi expensas, quæ ad placitum Reipublicæ statuetur.

## VI.

In particulari quod attinet personam Serenissimi Principis; omnes requisitas Qualitates in ipso reperire facile est: Quarum prima est ætas juvenilis, videlicet Annorum 22. & apta ad Matrimonium incundum cum Serenissima Regina.

## VII.

Dotes ipsius sunt apertæ, Magnanimitas, Liberalitas, Clementia, Acumen Ingenij, quo diversas Matheseos scientias penetrauit, linguarum Latinæ, Germanicæ, Italicæ, Gallicæ &c. notitia, in rebus Militaribus strenuitas & experientia, & in omnibus Docilitas ut facilè alia Idiomata, speciatim Polonicum, possit apprehendere. Super omnia autem Spiritus Martialis, ut videatur verè à Patre haud degener, qui quantum militaris fuerit, in bello præterito patuit.

## VIII.

Quantam porrò rerum notitiam & experientiam per triennem peregrinationem assumpserit, facile judicare licet, quando tot diversarum Nationum mores intuitus est per Italiam, Galliam, Angliam, Belgium, Germaniam, cæterasq; vicinas Regiones.

## IX.

Nec obesse poterit lex antiqua, REX CATHOLICVS ESTO; siquidem

dem haud dubiè paratissimus erit ad hanc Religionem ample-  
tendā, quam in tot Regnis Catholicis florentē vidit, ipsi etiā  
Summo Pontifici reverentiam exhibuit Romæ, quin fama pu-  
blica tulerat, ipsum in Regno Galliarum Catholicæ Ecclesiæ se con-  
junctum. Quantum etiam Frater Serenissimi Principis ipsemet  
Rex Daniæ Regnans affectus sit Catholicis, patet ex libero exer-  
cicio passim per Regnum Daniæ illis concesso, sigillatim in sua  
Residentia Hafniæ. Nec est quod vereri queat Polonia, utpote  
quæ etiam Stephanum Bathorem ex Hæretico Regem habuit  
prudentissimum, fortunatissimum, zelosissimum.

X.

Illud deniq; venit considerandū, quòd Re. nū hoc fuerit sem-  
peramicum Poloniæ, nec unquam bella gesserit cum Polonis,  
nisi olim tempore Paganismi. Amicitia hujus Domus in par-  
ticulari patuit tempore planè deperdito belli præcur-  
rentis, ubi è Regno Poloniæ in se totam molem  
belli transtulerat

